

vis eloquij, impiis iussionibus addicti, & sanguine optimorum ciuium stillantes carnifices nihilque præter sanguinem sistentes, infecta cæde rediissent, nisi scutariorum qui seriùs venerat, verborum non degustata dulcedine, irruens in Antonium, mandatum nefarium adimpletset. Huius est ille ad persuadendum efficax actus oratorius, cuius in Oratore meminit suo Cicero. Cum enim M. Aquilium, qui Cos. fuerat Dux, apud Senatum & populum clarus, omni tandem honore spoliatum, & ad extrema fortunæ præcipitatum senem, in capitali causa defenderet, & in medio orationis ardore & deformem squallentemque reum sustulit, putremque eius discindens tunicam, ac generosi quondam tunc miserandi pectoris cicatrices iudicibus ostentans, simulque ad G. Marium qui inter astantes erat versus, & ut collegæ dudum sui miseretur, multum cum lachrymis obtestans.

C. GRACCHVS.

AD admirandum lectori potius quam imitandum subiicitur exemplum G. Gracchi, qui ex familia eloquenti & seditiosa genitus, in utroque majorum suorum vestigiis inhaesit, sed quoniam vnus